



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. II. De Siderum in terras influxu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

Si illis opponas Script. quæ Jobi 33. de Deo sic loquitur : *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* ubi S. Greg. *Quippe, inquit, Mundum per seipsum regit, qui per seipsum condidit.* Respondent illi, Deum quidem esse primum & universalem Gubernatorem, secundum cujus directionem etiam Angeli & reliqua in orbe ordinata sunt; id tamen non impedire, quin in executione particularium utatur ministerio Angelorum & aliarum creaturarum: sic regit Ecclesiam per Pontifices & Præfules, regit Provincias per Imperatores & Principes, atque ita intelligendus est S. Greg. qui mentem suam in Dialogis satis explicat. Accedunt alia Script. testimonia non obscure hoc confirmantia. Sic Jobi 9. legitur : *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Et inferius: *Columnæ celi contremiscunt.* & c. 38. *Cum me laudarent Astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Qui textus communiter & convenienter intelliguntur de Angelis sidera regentibus, cum aliunde spiritus Administratorii nuncupentur, ad omnem Divinæ providentiæ nutum promptissimi. Quodsi cursum naturæ velit mutari Deus, præstò sunt Angeli, qui hoc exequantur: sic in morte Christi, licet Luna esset soli opposita, potuit tamen ministerio Angelorum fieri eclipsis Solaris, ut sol obscuratus morientem omnis luminis fontem lugeret.

Si dicas, imperfectum esse horologium, cui semper debet assistere motor: imperfecta igitur erit Mundi machina, cui semper debet assistere Angelus dirigens. Id concedent illi, si motor sit distinctus, aut artifex ipse; negabunt autem, si motor sit pars totius operis. Angeli sunt pars universi, & suo modo se habent sicut pondus aut rota intellectiva horologii: potius ergo absolute perfecta dicenda est mundi machina, cum in ea nihil eorum desit, quæ ad finem à Deo intentum pertinent. Argumentum hoc potius illos premit, qui asserunt, Deum unicam esse omnis motus causam.

At motus vitales animæ vegetativæ perfectiores sunt motu locali siderum, nec tamen proveniunt ab intelligentia extrinsecus assistente: ergo nec motus siderum. Hoc distinguunt: motus vitales perfectiores sunt in se formaliter, con. sunt perfectiores præsuppositivè, negabunt ant. & conseq. Sic etiam actus nutritivus vitalis est perfectior in se formaliter, quam pictura aut scriptio carminis; non tamen sequitur, quod si non requiritur anima intellectiva rationalis ad actus vitales nutritionis, neque requiratur ad pingendum aut scribendum carmen; quia scilicet ista præsupponunt cognitionem rationalem. Idem dicunt de motu siderum.

S. II.

De Siderum in terras influxu.

HUic quæstioni occasionem dedere Chaldaei, qui sese jactando audaciter asseriebant, se posse ex sideribus omnia noscere; hos sequuntur bene multi, vel ut vanam captent gloriam, vel ut fucum indoctis faciant: inde verò occasionem sumpserunt imperiti & scioli acrius in Mathematicos invehendi; quasi verò Matheſis, quæ viâ semper incedit demonstrativâ, non etiam mendacia & aniles fabulas repudiaret, atque etiam nôſſet distinguere inter veram Astronomiam & Astrologiam vanam. Quia ergo hac in parte aliqui nimium tribuunt Sideribus, alii nihil, breviter hoc & seq. §. quæ verisimiliora sunt, ab incertis & vanis distinguenda sunt, atque exponenda.

Quod

Quòd Cæli & Astra multum utilitatis nobis conferant, & revera influant in sublunaria, extra dubium est. Ratio id asserendi est, tum quia in causis ordinatis inferiora reducuntur ad superiora, mutabilia ad stabilia &c. tum quia non apparet alius finis, propter quem tot cælestia corpora, tantæ magnitudinis tam velociter rotentur, nisi ut conferant aliquem usum ad bonum sublunarium, dirigendo nempe hominem in ratione temporum & locorum, atque suis influxibus universam animando naturam; ut adeò non tantum in Chronologicis, Geographicis, Nauticis, &c. sed in Physicis etiam plurimum conferre videantur. Id patet experiètiis, tum ex agrorum & hortorum cultura, tum ex Medicina & Chyrurgia desumptis, de quibus Virgilius, Plinius, Zahn, &c. Et certè influxus Solis ita universalis est, ut de illo dubitare nemo possit. Influxus quoque Lunæ in mare, in conchilia, in plantas, in peccante quodam humore laborantes &c. satis patet, quanquam istis multa fabulosa inserantur. In aliis sideribus non ita notus est, quamvis & ista possint aliquid agere, licèt non illa omnia, quæ ineptè ipsis tribuuntur. Deinde continuus cæli & materiæ subtilis æthereæ, ad nos usque propagatæ, & ubique sese insinuantis motus multum utique potest efficere. Qua porrò ratione influant sidera, an per qualitates occultas, an verò per motum & effluvia? id repetendum est ex propriis cujusque Philosophiæ principiis: modus nobis notissimus est per lucem & motum.

Sidera tamen non influunt directè in intellectum & voluntatem, etsi possint aliquid indirectè agere. Prima pars definita est in Conc. Bracarensi & aliis, quia nimirum hæc influentia præjudicaret libertati. Unde Jerem. 10. dicitur: *Juxta vias Gentium nolite discere, & à signis cæli nolite metuerè.* Et hanc partem triplici ratione probat S. Thomas. 1. Cùm inclinatio sequatur naturam, non videtur ab eo mutari posse, à quo minimè dependet; sed anima rationalis minimè causatur, aut dependet à Cælis: ergo ejus inclinatio & voluntas ab iis directè immutari non potest. 2. Nullum materiale potest directè agere in spiritum; sed anima rationalis est purè spiritualis: ergo cæli materiales non possunt in eam directè agere. Maj. & min. probabitur, ubi agetur de immortalitate animæ rationalis. 3. Voluntas movetur à ratione; ratio autem non pendet à cælis, sed à primis principiis, quorum veritas æterna est, minimè dependens à Jove aut Saturno: ergo nec voluntas ab iis dependet.

Indirectè tamen, uti pars altera dicebat, possunt cæli influere. 1. Quia, cùm anima uniatur corpori, & in hoc statu operetur dependenter ab organis, in quæ sidera possunt influere humores commovendo, anima etiam & totus homo certis temporibus magis inclinari poterit ad iram, aut melancholiam, aut &c. 2. Ex parte objecti, quod per influxus cælestes mutari potest, consequenter mutari potest etiam noster affectus: sic sole aërem nimium calefaciente, appetimus & quærimus umbram. Potest tamen voluntas ratione & virtute hos motus reprimere, aliàmque vitæ rationem tenere, quàm quæ inspiratur à cælis; inde illud Ptolomæi: *Sapiens dominabitur Astris.* Hinc fit, ut bruta ob defectum rationis & libertatis longè meliùs impressiones cælestes sentiant & indicent, certioraque sumantur ex ipsis tempestatum prognostica, quàm ab hominibus.

Dices. Sidera possunt agere in Dæmones; nam Lunatici pro diversis Lunæ phasibus diverso modo à Dæmonibus cruciari dicuntur: ergo etiam in animam. Deinde ignis inferni potest directè in animas agere; cur non etiam sidera? Ad hoc, si res ita est, dico, id non contingere, quòd Astra vim ullam in Dæmones habeant, sed quòd Lunaticorum corpora variis temporibus variè

sint disposita, & Dæmones, qui cælestes & æreas impressiones nōrunt, iis utantur. Ignis infernalis non agit in animas naturaliter, sed ut Dei omnipotentia elevatus: cū ergo hic cruciandi modus habeat aliquid supernaturale, non est, cur ad sidera, quæ naturaliter agunt, difficultas transferatur.

§. III.

De Arte Judiciaria.

Astrologi cælum dividunt in 12. domos, quas cælestes vocant, sex earum supra, sex infra horizontem collocantur. Prima, quæ scilicet est proxima infra horizontem ad ortum, appellatur horoscopus & Domus vitæ. Sequens infra horiz. domus divitiarum. 3. Domus fratrum. 4. Domus parentum, ceteræque sequentes, ut duobus his versiculis enarrantur: Vita, lucrum, fratres, genitor, natiq; valetud. Uxor, mors; iter & regnum, benefactaque, carcer. Vel ut alii volunt: Uxor, mors, pietas, & munia, amici, inimici. Deinde singulis grad. signorum tribuunt aliquod hieroglyphicum: primo Arietis gradui opponitur vir dextrâ falcem, lævâ arcum tenens; secundo vir canino capite &c. Præterea varias proferunt planetarum dignitates: alii dicuntur masculiei, ut Jupiter, Mars, &c. alii foeminei, ut Venus & Luna; iisque omnibus, cæterisque stellis diversas tribuunt virtutes, prout in diversis domibus aut signis fuerint, v. g. Saturnus in Ariete variis malis implicat, in Tauro paternam dissipat substantiam, in domo Jovis designat mortem patris &c. signis quoque cælestibus provincias, urbes, corporis humani partes subjiciunt: Arieti caput, Tauro collum, Leoni Italiam, Arieti Galliam, Scorpio Norvegiam, Virgini Lutetiam, Ingolstadtium Amphoræ, Piscibus Ratisbonam, sexcentasque tales alias fingunt nugas, ex quibus credunt, se posse miros eventus noscere, præsertim ex horoscopo, & erectione thematis, seu cælestis positionis in puncto natiuitatis alicujus hominis; tum enim vel maximè attendunt, qualis stella in qualibet domo inveniatur, ut ex omnium combinatione mira quæque de tali homine prædicent & prædicant.

Sed vana omnino est hæc Astrologorum scientia, prout ab ipsis traditur. Probatur 1. Auctoritate, tum Scripturæ, tum S. S. Patrum, tum ipsorum Sapientiorum ethnicorum. Isai. 47. dicitur: *Salvent te Augures celi, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annunciarent ventura tibi; ecce facti sunt velut stipula.* S. Chrysost. vocat Astrologos Providentiæ calumniatores. S. Hieron. eos ridet, quod aliis salutem promittant, sua autem ignorent supplicia. S. Ambros. concludit totum hoc negotium esse plenum vanitatis. S. Chrysost. & S. Cyrillus hanc scientiam vocant errorem & ineptiam. S. Basil. hom. 6. asserit esse deliramenta. Lactant. lib. 2. ait, hæc esse inventa Dæmonum. Unde S. August. lib. 5. de Civ. Dei meritò dicit: *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis Genesim ponimus.* Quin & Cicero lib. 2. de Divinat. hujusmodi prædictiones vocat monstra Chaldæorum, vim maximam erroris & delirationem incredibilem.

Prob. 2. ratione: quia in Astrologorum systemate non apparet connexio naturalis effectus futuri cum causa præsentis: nam omnino arbitraria est cælestium domorum divisio, commentitia earundem nuncupatio, fabulosa ferè omnium constellationum nomina, arbitrarium & fictum, quidquid de Astrorum

sub-